



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni**

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

Sectio V. Quomodo adaptanda sit Doctrina præcedentium Sectionum  
revocationi omnium Privilegiorum, & Indulgentiarum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

## SECTIO V.

Quomodo adaptanda sit Doctrina prae-  
cedentium sectionum revocationi om-  
nium privilegiorum, & in-  
dulgentiarum

270. 1. Suppono ut certum duobus mo-  
dis posse fieri revocationem pri-  
vilegij. Primò, per publicam, seu univer-  
salem legem: Alio modo ab homine,  
idest, per privatam, seu particularem re-  
vocationem, vel respectu alicujus Com-  
munitatis particularis Religionis, seu  
privatæ personæ, & suppositis de neces-  
sitate requisitis, pro omnibus legibus in  
communi. Dubitatur primò, an ad re-  
vocationem per legem generalem pri-  
vilegiorum, & indulgentiarum, sufficiat  
unica publicatio solemnitas, facta in Cu-  
ria, pro omnibus privilegiatis, etiam in  
varijs locis valde distantibus, commo-  
rantibus? An verò in qualibet Provin-  
cia, seu Diœcesi remota, debeat fieri  
specialis promulgatio?

271. 2. Non desunt, qui persistentes, in  
opinione relata, sect. 2. circa leges uni-  
versales generaliter disponentes, & sect.  
3. num. 1. circa leges irritantes, affirmant  
unicam publicationem factam in Cu-  
ria Romana sufficere pro omnibus sub-  
ditis, & quod illa facta, statim manent  
revocata quælibet Privilegia, taliter,  
quod virtute illorum nihil validè fieri  
possit. Probant, tum ex magis incon-  
venientibus ex opposito sequentis, & re-  
latis pro legibus communibus, sect. 2.  
Tum, quia consuetudo, & praxis sic vi-  
gent, ut probatum est *ibidem*, & constat

ex motibus Pij V. Gregor. XIII. & Inno-  
cent. X. circa ingressum Conventuum  
Monialium, & nullitates professionum,  
qui solâ publicatione Romæ factâ om-  
nes obstrinxerunt.

3. Alij ex adverso, defendunt non 272.  
sufficere unicam revocationem in Cu-  
ria, privilegiorum, indulgentiarum, &  
aliarum rerum, sed necessarium esse ut  
hujusmodi leges promulgentur non so-  
lùm in singulis Provincijs, verum etiam  
in singulis Diœcesibus privilegiorum,  
alias privilegia non manebunt cum ef-  
fectu revocata. Imò Sayrus in Clavi Re-  
gia lib. 3. cap. 5. num. 13. ait, circa revo-  
catorias privilegiorum, & indulgentia-  
rum, illud communiter ab omnibus re-  
ceptum, & approbatum est, hujusmo-  
di leges vim obligandi non habere,  
quousque promulgatae sint, non solùm  
in Provincia, sed etiam in Civitate, &  
Parochia, addens, quod usquedum ta-  
lis revocatio sit promulgata ibi: Qui-  
cunque potest uti concessis privilegijs  
extra culpam. Neque hoc tantùm, ve-  
rùm etiam, si quis usque ad illum arti-  
culum, virtute privilegiorum, fuerit à  
reservatis absolutus, absolutio est vali-  
da, & tenet etiam cum Sayro, Sotus  
lib. 1. de just. quest. 1. artic. 4. Valentia 1. 2.  
disp. 7. punct. 5. quest. 2. §. nam primò,  
Medina 1. 2. quest. 90. art. 4. citantque in  
sui favorem Felin. & Panorm. *supr.* cap.  
Cognoscentes de const. fundantur in  
hoc, quod privilegia sunt favorabilia,  
& revocationes odiosæ. Unde illa, sunt  
amplianda, istæ verò restringendæ, &  
de benignitate summi Pastoris hoc li-  
cet præsumere, maxime quod redundat  
in favorem animarum, & ita esse con-  
sue-

suetudine introductum, docent Sotus, & Medina.

273 4. Nobis tamen tenenda est sententia Suarez cum moderamine appposito *supra sect. 4. n. 3. & 4. & disp. 3. à num. 4. & deinceps.* Itaque primam sententiam reputamus veram, intellectam de quibusdam rebus, seu actionibus in quibus Pontifex liberè potest disponere, & dispensare, ut sunt beneficia, collationesque eorum, & valor professionis Religiosorum, ut diximus *ibidem*, in alijs verò rebus, præcipuè quæ ad salutem animarum pertinent, secundam sententiam amplectimur, juxta *ibi dicta, num. 4. & juxta deductiones relatas, sect. 3. à num. 5.*

274. 5. Sic docent Sayrus in *Clav. Reg. lib. 3. cap. 5. num. 13.* loquendo de materijs privilegiorum, & Indulgentiarum, & ait esse ab omnibus receptum, & approbatum, hujusmodi leges vim obligandi non habere, quousque publicatæ sint modo assignato; & licet isti Authores absolutè loquantur de omnibus revocatorijs; tu tamen semper excipe casus relatos *sect. 4. num. 3.* Quia illi ut per se patet, semper sunt comprehensi propter rationes *ibi* assignatas, quod verum est etiam non stante privilegio referendo.

275. 6. Argumenta præcipua, quæ generaliter militant contra nostram assertionem soluta manent à Molina, & alijs *supra sect. 4. à num. 7.* Neque allata in præsentem, alicujus momenti sunt contra nostram repetitam conclusionem, Concedimus ergo, cum prima sententia, quod praxis viget in casibus à nobis

exceptis, ut in motibus *Pij V. Greg. XV. & Innocent. X.* circa nullitatem professionum & beneficia Ecclesiastica: Nego tamen cum secunda sententia hoc currere in revocatorijs aliorum privilegiorum, propter fundamenta à nobis adducta.

7. Privilegium quod maximè juvat secundam partem nostræ assertionis, & minimè primæ fuit concessum patribus Societatis *IE SV à Greg. XIII.* ubi statuit, ut nulla abrogatio sub quavis amplissima forma præjudicet privilegij ipsi Societati concessi, nisi fuerit insinuata, & intimata dictis Patribus, prout constat ex *§. 4. ipsius Privilegij Bullati*, incipientis: *Æquum reputamus, &c.* habeturque apud Cherub. *fol. 361.* sub annum 1572. & sic fuisse decisum à Rota, tenent Cherub. in *Comp. Bull. Tom. 2. ad Const. Gregor. XIII.* in Scholio 2. Marcus Anton. de *Amat. decis. 17. pet totam, Diana 3. part. tract. 2. de dub. Regul. resol. 68. Donat. Tract. 13. quest. 23.* & alij, quo privilegio gaudent omnes Mendicantes, ob communicationem privilegiorum, & aliæ Religiones, quæ in eis participant, ut fatentur dicti authores, & hoc privilegium hodie esse in viridi observantia, etiam in alma urbe constat ex litè decisa inter Patres Societatis, & Episcopum Angelopolitanum, ubi *Innocent. X.* jussit, ut eis intimaretur revocatio facta contra dictos Patres, ne se excusatos judicarent à revocatione, ob dictum privilegium, quibus omnibus adfui dum Romæ existerem.

276.